



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Guilielmi Adolphi Scribonii, Ex Aristotele Et Aliis  
summis philosophis repetita**

**Scribonius, Wilhelm Adolf**

**Hanoviae, 1593**

**VD16 S 5114**

Cap. VI. Finem hominis non esse Platoniam bonorum Ideam.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56572)

*Quare autem in virtute finem hominis esse  
negas?*

Summum bonum, ait Aristoteles, non potest esse in otiosis: Virtus potest esse in otiosis, ut in dormientibus. In ea igitur summum bonum statui omnino nequit. Item: Quicquid conjunctum est cum maximis miseriis atque malis, non potest dici summum bonum: Virtus non raro maximis periculis est conjuncta. Non igitur summum bonum.

*Forsan ergo in divitiis hominis finem  
collocabis?*

Multo minus. Quicquid enim propter aliud, & non per se expetitur, non potest extremus hominum finis appellari: Divitiæ non per se, sed ob vitam nostram splendidè alendam expetuntur: Ergo, &c.

## CAP. VI.

Finem hominis non esse Platoniam bonorum Ideam.

*Nihilne Plato differit de extremo hominis fine?*

*Vide Platonem in 7  
De republ.  
& alibi.*

Plato constituit summum bonum esse universalem quandam ideam boni, mente tantum perceptibilem, quæ sit perfectissima virtutum cognitio, & in qua sit firma animi virtutè amplectentis assentio, ut nihil omnino in ea desiderari possit. Sed hæc sententia minus probatur Aristoteli.

*Quid igitur absurdi in illa sententia?  
Re ipsa quidem nihil est in Platonis dicto  
absurdi.*



absurdi. Enimverò videns ipse hominum infirmitatem: requirit perfectam boni notitiã. Aristoteles verò ob naturæ quam opinabatur integritatem, nō plus requirit, quam ipsa præstare possit. Non multum igitur dissident.

*Cur verò reprehenditur Plato?*

Aristoteles tantum improprie & confuse dicta in illo reprehendit.

*Quenam sunt illa?*

Plato sepe dicit, nec virtutem, nec voluptatem esse finem hominis, sed ideam boni, quæ *Intellige nō separatim* illas seu species sub se comprehendat: cum *essentialiter* tamen non possit una idea diversarum specierum *stetere extra* constitui, ut equi & leonis, &c. Præterea Plato *res ipsas: sed abstracti-* ideas æternas asserit, nec esse singularium, sed *ve considerandas.* abstractas imagines. Verum Aristoteles imaginis ejusmodi universalis cognitionem parum *prodesse ostendit: quia agens versatur circa singularia.*

*Quibus argumentis id ostendit Aristoteles?*

1. Summum bonum, inquit, ab hominibus non monstrifis mediocri conatu acquiritur: Idea illa nullo modo acquiri potest: Non igitur summum bonum est.

2. Deinde in quibus prius est & posterius, in eis non est communis aliqua idea: In bono est prius & posterius: In eo igitur idea dari nequit. Assumptum probatur, quia bonum in diversis est predicamentis. Substantia enim semper prior est accidentibus.



18 GULIELMI SCRIBONII  
3, Tertió, Quorumcumque una est idea, eorundem una scientia est: Bonorum nõ est una scientia: Ipsorum igitur non est una idea.

CAP. VII.

De vero hominis fine.

*Quis igitur tandem est ultimus finis hominum?*

Actio virtutis: & quidem in vita undique perfecta. Cic. I. Off. Virtutis laus in actionibus consistit.

*Quomodo hoc docere potes?*

Propria actio cujuslibet naturæ, est ejus finis: Actio virtutis est hominum propria: Ergo hæc quoque illorum finis est.

*Cur additur, In vita perfecta?*

Quia in quibusdam inchoatæ virtutes ob sequetium flagitiorum fœditatem turpissime deformantur. Ut autem sit firma virtus, assuefactione & ætate opus est.

CAP. VIII.

De consensu Aristotelis & aliorum in definiendo summo bono.

*Statuis igitur Aristotelem in definitione summi boni planè ab aliis dissentire?*

Non quidem omnino dissentit.

*Qui quæso cum iis convenit, qui in virtute summum bonum posuerunt?*

Quia ipse actionem virtuti congruentem, non nudam virtutem summum bonum esse definivit.